

OBSERV. VI. AD PS. LXIV, 7.

Locum hunc, si quem alium, corruptum esse, criticaque ope indigere, clamant, non veterum tantummodo interpretum, sed codicum etiam hebraicorum varietates. Quamvis enim lectio masorethica duplicem, eumque haud ineptum sensum admittit, alterum, si vertatur: *investigant* (sc. hostes mei) *flagitia, nos vero innocentes sumus: anxie perscrutantur omnia*, (vel ad verbum: investigatio investigata est i. e. sollertissime facta est) *quin etiam intima hominum sensa, cordisque profunditates: alterum si verba ita exponantur: consilia exquirunt prava, consumti sumus, actum de nobis est, consilia* (hostium meorum) *sollenter excogitata sunt, profundumque et impervestigabile est intimum cujusque cor* (i. e. nemo in eorum consilia penetrare, seque contra machinationes eorum defendere potest.): tanta tamen est in codicibus et versionibus lectionis diversitas, ut

con-

conjectura tantum, quae pro genuina habenda sit, assequi liceat. Uberiorem harum varietatum recensum dederunt KÖHLERVS in *Repertorio* T. IX. p. 94-99 et SCHNURRER in *Animadvers. ad quaedam loca Psalmorum. Fasc. I. p. 24.* Superfedere itaque possum vel his enarrandis, vel variorum interpretum et criticorum de hoc loco conjecturis atque sententiis uberius exponendis, paucisque tantum nostram sententiam, rationemque, qua sensum et lectionem hujus loci restituere conati sumus, tradam. Praeferre consuetae lectioni טמנו malle malleו המנו, quae plus quam quinquaginta codd. Kennicottianorum testimonio nititur, et ex DOEDERLEINII etiam KNAPPII atque DATHII aliorumque criticorum et interpretum sententia, non obstantibus iis, quae *illustris* MICHAELIS in *bibl. Or. T. I. p. 181* acute contra illam monuit, assensum meretur, et pro וקרב restituere מקרב, quod Symmachus expressit. Vertere hinc licet: *exquirunt consilia prava*

(insidias mihi struunt) *occultantque machinationes sollerter excogitatas* (הפש מחפש ex noto hebraismo, quo idem vocabulum sed in diversa forma positum repetitur, ad majorem rei gravitatem exprimendam.) *ab ingenio humano, menteque acutissima* (vel animo profundissimo i. e. omnia quamvis profunda atque recondita sint perferutante). In ultimorum verborum expositione S. V. DOEDERLEIN jam praeivisse laetor, utrum vero illius verborum praecedentium versio an nostra faciliior sit, sensumque magis expeditum praebat, alii dijudicent.

OBSERV. VII. AD PS. LXXVIII, 9.

Duplici mendo laborare videtur vulgaris hujusce versus explicatio, altero quod דשק vertitur *armati*, ex collatione radicis arabici نشق *attraxit*, quod cum ששק conjunctum *attrahere arcum, illum intendere* esse voluerunt lexicographi, cum tamen ששק hebraice דשק esse debeat; altero, quod